

APPENDIX AD TITULUM XVI. DE CLERICIS INDIARUM.

Multa que ad Clericos Indiarum spectant nostro in hoc opere sparsa succurrent, nunc aliqua tantum, que desiderari possunt, præstat delibasse. Ex quibus sit

Suspendia accepta pro Missis in Indijs an remitti in Hispaniam possint ut plures dicatur, ampliori quantitate missæ referantur.

Non posse, si obligatus ad illas habeat copiam pecunie sufficientem, quia differri nequeunt.

Et satis facere per alios debet.

Sed distinctione videtur.

D Rimum. (& est illud Parochis etiam Religiosisque commune) An qui Eleemosynas pro Missis accipiunt, adeo multas, ut satisfacere per se ipsos nequeant, possint summam aliquam pecuniæ in Hispaniam transmittere, in qua eleemosynæ aut stipendia minori quantitate constant, ut quatuor, vel sex, aut octo, & vero etiam plures, diuisis Indici stipendij, pro vna dari soliti, portionibus iuxta regionum diuersa statuta, dicantur. Vbi distinguendum est, an scilicet is, quis debet, habeat vnde satisfacere per alios possit, iusto stipendio in Indijs attributo: an verò soluendo debito non sit. Et in priori casu res videtur certa, teneri ad illas per alios in Indijs dicendas. Ratio est aperta: quia tenetur non differre amplius earum celebrationem, cum iam sit longum tempus effluxerit, ut arguit debiti magnitudo. Quæ est communis doctrina scriptorum, pro qua Bonacina Tomo 1. Disput. 4. de Sacramentis, Quæst. ult. Puncto 7. §. 5. num. 2. Villalobos Parte 1. Tractat. 8. Difficult. 18. numer. 2. Diana Parte 2. Tractat. 14. Resolut. 25. Ludouicus à S. Ioanne, Alfonso à Leone, Marchinus, P. Fagandez, P. Reginaldus, quos adducit Hieronymus Garcia in Summâ Morali de sacerdotio, Tractat. 3. Difficult. 10. Dub. 8. num. 1. Victorius ad Cap. 8. Lib. 2. Cardinalis Toleti §. vltimo. vbi alios refert. P. Palauus Tomo 4. Tract. 22. Puncto 14. in fine. P. Dicastillus Tractat. 5. Disputat. 4. numer. 399. & seqq. Thomas Hurtadus Tractat. 2. numer. 195. & 196. multis adductis. Cum ergo non possit per se illas dicere, tenetur per alios, qui earum celebrationem statim exequantur.

2 Quod autem hoc modo satisfaciendum obligationi tali sit, affirmant communiter Doctores, ut videri potest apud Bassæum in Floribus Theologicis. verb. Missa 7. n. 3. Quamuis in hoc accuratâ distinctione vtatur Fraxinellus, & Alfonso à Leone, quos pro eo laudat Hier. Garcia supra, dub. 1. n. 12. Dicunt enim quod si Missæ erant dicendæ pro defunctis, aut pro viujs in particulari, restitutio est faciendâ modo dicto, faciendo scilicet ut per alios dicantur. Si verò pro bono populi, aut Ecclesiæ cultu, summam illam pecuniæ posse in ijs, quæ ad spirituale bonum eiusdem populi confer-

re possunt, & in ornatu Ecclesiæ. Si autem dicendæ erant ad aliquod beneficium à Deo impetrandum, cuius iam præterit occasio, ut si pro salute eius, qui iam mortuus est, restitutio faciendâ ei, qui stipendium contulit. Aduertunt tamen præfati, quod si Missæ dicendæ erant pro bono populi aut Communitatis, iuxta Testatoris voluntatem, & sacerdos eam velit Sacrificiæ aut Ecclesiæ summam, quam debet, applicare, debet id auctoritate Episcopi interueniente præstare. Iuxta hæc ergo, si restitutio ei, qui stipendium contulit, faciendâ sit, satis apparet perspicuum non posse in Hispaniam pro multiplicandâ sacrificiorum celebratione transmitti. Sed neque ex alijs motiuis acceptum, quia cum possit modo fieri restitutio, differri nequit, sicut differri non potuit vsque ad præsentem articulum.

3 Præterea, aut tot Missæ in Hispaniâ dicendæ sunt, stipendio iuxta morem regionum exhibitio, quot ij, qui stipendium dedere, dicendas voluerunt, eo, quod superest, sacerdoti, qui accipit, referuato: aut totum, quod est acceptum, in eis est expendendum. Primum stare nequit, quia dilatio noua interuenit sine adiectione fructus aliquid, quem possit is, pro quo erant Missæ dicendæ, percipere, quæ sanè mortifera est, iuxta Auctores dictos & alios communiter, ex quibus laxius loquentes dilationem vltra duos menses esse mortalem affirmant, cum alij, in quibus est P. Palauus, talem censeant, quæ mensem prætergressa. Post hæc autem scripta, ad manus venit Tomus 7. P. Arriagæ, qui Disput. 56. num. 15. in fine, sic ait: Ego autem non essem ita scrupulosus, sed putarem medium annum posse concedi, quia etiam artificibus laborantibus in aliquo opere magni momenti solet anticipatâ dari pars pecuniæ pro opere, quod non nisi ad quinque vel sex menses perfici potest. Sic ille, qui pro inaudita laxitate exemplum emerit prorsus adducit, & ex quo contrarium potest aptè demonstrari. Datur enim anticipatâ pars pecuniæ, quia opus perfici nequit ante tempus illud, ne artifex diu sine præmio labore, quod citò perfici non potest. Atqui recipiens stipendium pro Missis, circa illas non laborat lato illo spatio: ergo diuersa est in ea ratio. Præterea contra citatum Auctorem facit id, quod ipse habet in fine disputationis, vbi de infirmitate Capellani agens, & querens quænam sit talis, ut ea durante ad celebrandum per alium non teneatur, sic ait: Ego sanè, quando vltra

Iuxta quæ resolutio.

Vrgetur, ex dilatione, & qualis sit mortalitas.

P. Palauus.

P. Arriagæ nimiam concedit laxitatem.

Exemplum ab eo adductum reuertitur.

mensem

Et doctrina alia priori contraria.

Decreto Urbani VIII. ut nihil possit, qui Missam per alium dicit, sibi retinere, cum Cardinalium Declarationibus.

Plurimum Missarum dicendarum inuitu non posse pecuniam transmitti.

Qui soluendo non est, ad transmissionem non tenetur.

mensem protrahitur morbus, non dubito debere iudicari longum. Et sanè vix possumus præsumere Fundatorem consensisse in tam longam carentiam sacrificiorum. Sic ille, priori dictæ doctrinæ penitus contradicens. Sed ut hoc demus, in nostro casu parum releuat ista dilatio, ut constat; cum dilatione autem est insuper retentio partis maximæ stipendij, pro qua titulus nullus est. Et licet non defuerint, qui id posse fieri tradiderint, eo quod id, quod retinetur, velut fructus diligentia est: iam tamen sententia illa iudicio Sedis Apolliticæ exauthorata est, ut non possit sustineri.

4 Est autem pro eo Decretum Quartum, & Declaratio authentica Sacræ Congregationis Cardinalium, quæ est in ordine septima, pro quarum inuolabili auctoritate videndus Hieron. Garcia supra, Dub. 2. num. 15. Cum enim dubium circa præfatum Decretum in hunc modum fuisset propositum: Queritur an permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam Eleemosynarum portionem pro expensis maintenance Ecclesiæ, Altarium, Inferuentium, paramentorum, luminum, vini, Hostiæ, & similibus, sic respondent: Respondet permittendum non esse, ut Ecclesiæ, aut loca pia, seu illorum Administratores, ex Eleemosynis Missarum celebrandarum ullam vtiunque minimam portionem retineant, ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione: nisi cum Ecclesiæ, & loca pia alias non habent redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licet possint. Et. Addenda etiam nona responsio, quæ in terminis resoluit questionem, sic: Ad Nonum, debere absolute integram Eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse. Hæc ibi: Licet autem fuit apud Thomam Hurtadum supra num. 164. qui censeant Decretum dictum non esse receptum; ipse tamen ei standum censet, dum contrarium non constat: & merito, quia possessio pro lege stat, iuxta recepta principia. Et iuxta hoc loquitur Ioannes Poncius in Casu Theol. Disput. 44. num. 130. Et D. Machadus Tom. 2. pag. 79. fin.

5 Si autem dicatur secundum, neque illud stare potest: quia is, qui stipendium contulit, bene viderat summam illam in Hispaniam transmissam pro Missis pluribus suffecturam; & tamen id ita disponere noluit, breuitatem temporis in eo & certitudinem, spem illi maioris comodi præferens: ergo aliter agens, contra illius agit voluntatem, & quidem rationabilem. Et quemadmodum si quis certam summam alio titulo debeat, non potest eam in Hispaniam transmittere, ut emptione & venditione mercium Creditoris utilitas augeatur; ita etiam est in casu præfati dicendum, in quo ratio est eadem.

6 Iam, si Sacerdos aliquis integrè soluendo non sit, video in vsu haberi transmissionem pecuniæ talem, & à viris pijs, & non indoctis probari. Circa quod in primis dicendum videtur id non esse in conscientia foro necessarium, quia non est solidum pro obligatione huiusmodi fundamentum. Hoc in loco contraxit, neque obligatio restitutionis pro alio esse potest, nisi is, qui debet, aliò se conferat, & sit obligatio personalis: vnde si in Hispaniam iret Sacerdos tali obligatione grauatius, ibi satisfacere eidem posset. Et hoc quidem iuxta communem doctrinam est in

Theauri Indici Tom. II.

materia restitutionis, ex qua habetur restitutio, cuius obligatio ex contractu descendit, in quo pro re accepta est reddenda alia, ibi faciendâ, vbi res, pro qua datur, est accepta, nisi aliter sit conuentum: pro quo Nauarrus, Bonacina, Syluius, P. Vazquez, P. Lessius, P. Filliucius, quos adducit & sequitur Bassæus verb. Restitutio 4. §. num. 11. P. Molina Disput. 752. Conctus 2. P. Gaspar Hurtadus Tractatu de Inst. & Iure Disput. 8. de Restitutione, Difficult. 3. & alij passim. Ex eo autem quod debitum deterioratum sit, & integrè non possit eidem satisfieri, non oritur noua obligatio extraordinariæ illius diligentia; quæ etiam positâ incertum est an sit modus ille conuenientior, ob incertitudinem aut dilationem.

7 Propter quam rationem satis est verosimile neque id fieri posse: licet Thomas Hurtadus supra num. 168. non ita damnandum dicat, ut putat Vega, si ob dilationem aliqua compensatio fiat. Sed hoc non obstante id fieri non posse ait, iuxta Decretum Urbani VIII. quando quis partem stipendij sibi referuat. Ego insuper arguo: qui enim stipendium contulit, statim obligationi satisfaciendum voluit: quod cum secus factum sit, quamprimum debet satisfieri iuxta dicta: quod si integrè non possit, iuxta possibilitatem tamen. Neque dici potest dilationem utilitate maiori ex sacrificiorum æquato numero compensari: quia cum sit hoc incertum ob nauigationum pericula, mari & hostibus infestis, non est congruus restitutionis modus. Ut verò debitoris conscientia securâ sit & quietâ, neque transuersa illa torqueatur spina de non dictis tor Missis, quot fieri debuissent; si doctus est, habet quomodo id assequi valeat, ijs, quæ diximus, neutiquam ignoratis: si autem non doctus, iudicio se Confessarij docti submittat, & ut animabus in Purgatorio detentis, quas sacrificij subuentione frustra uit, non ex integro iniuriolus appareat, plenarias pro eis Indulgentias studeat lucrari, aut beneficio Bullæ Cruciatæ, aut frequentium aliarum largitionum. Sic enim accidere potest ut Indulgentia utilior animæ sit, quàm sacrificium; licet hoc in ordine ad Dei gloriam, & fructus alios, summæ sit æstimationis. Quia verò obligatio dicta maior esse & frequentior in Parochis Indiarum solet, si plenæ satisfactioni impares sint, Bullas defunctorum sumere pro eisdem expedit, pro quibus debuerant celebrare. Quia verò transmissio dicta aliquibus non iniusta apparet, in quibus est Vega verb. Missas, Casu 5. generaliter loquens, cum omnes, pro quibus est obligatio, dici non possunt, in suo illi censu poterunt abundare; & erit tolerabile, dummodo mare securum ab hostibus sit, & negotium personis in Hispania securissimis committatur, quorum manibus non adhareat: & de hoc possunt cum Beato Iob, sed in Domino, gloriari.

8 Scio petium aliquando duplicatum ab eo, qui per ipsam transibat domum, in qua rogatus est ut Missam celebraret: Sed est abusus neutiquam tolerandus, quia neque vnum vltra taxam

Restitutio ubi faciendâ.

Transmissio non esse licitam ostendunt.

Animabus in Purgatorio ut fieri possit satisfactio.

Non posse maius peti statuitur.

E E E

currentem

Quando id liceat exemplis declaratur.

currentem exigere obolum potest, cum nihil in eo specialis laboris supra ordinarium eundi in Ecclesiam ad sacrificium offerendum reperitur. Quando enim specialis aliquis labor est, qui secundum communem estimationem pretio sit compensabilis, & a sacerdote adhibetur, recepta sententia est plus aliquid prudentis esse arbitrio tribuendum, de quo post alios P. Dicastillus Tomo 1. de Sacramentis Tract. 5. Disput. 4. num. 322. vbi exempla apponit eius qui obligatus ad iter vnus leucae ob dicendam Missam, vel ad ministrandum Sacramentum, vel ad dicendas Missas certis horis, & non aliis, sicut & certis locis, ad celebrandum sub dio, vel loco male sano, vel ad expectandum quotidie vnam vel duas horas ad dicendam Missam. Pro quo & Cardin. Lugo in Responsis moral. Lib. 5. Dub. 18. num. 3. Atqui in casu nostro nihil horum, nec simile quidquam interuenit, vt est compertum, & ita est excessus manifestus.

Nihil tale exigi posse ob certis loci obligationem

9. Si dicas obligari ad celebrandum in tali loco; id non satisfacit: quia pro tali obligatione tunc accipi aliquid potest, quando ex eo specialis labor accrescit, & priuatio libertatis non connexa generali obligationi, iuxta id quod est vsu receptum, & Prælatorum statuta præseribunt. Vnde si quis Sacerdoti existenti in Ecclesia offerat commune stipendium, vt in eadem Ecclesia, atque in altari determinato Missam faciat: non potest aliquid supra commune ab eodem exigere: & ita si Prælati exigentem scirent, non sinerent impunitum. Et tamen priuatur libertate dicendi alibi, & aliquid fortè incommodum patitur; sed ex iis, quæ communiter recurunt, & ita pretio peculiari non debent æstimari. Quemadmodum si specialis Missa ab eo petatur, per quod libertate priuetur dicendi aliam. Et vt deus in casu, de quo agimus, plus aliquid exigi potuisse; non tamen duplum; immò nec medietatem; quia labor ille valde tenuis est. Quod ex eo deduci clarè etiam potest, nam ei, qui vt Diaconus, aut Subdiaconus in Missa tolemni ministrat, medietas stipendij datur pro Missa dari soliti; vbi certe labor est maior, & prolixior occupatio. Est autem casus communis, sed quia in Indiis plus fortè aliquid sibi Sacerdotes circa hoc arrogant, & valde est frequens in Oratoriis, aut Cameris etiam sæcularium, Missarum celebratio, vt Indiarum debuit proprius pertractari.

In stipendio inueniri iusti pretij variationem.

10. Pro quo addo sententiam esse quorundam Doctorum in stipendio Missæ interueniri varietatem iusti pretij, quam communiter Doctores admittunt, vt videri potest apud P. Suarium Tomo 3. in 3. p. Disput. 86. Sect. 2. §. Dico Secundo. Et apud Hieron. Garciam supra Dub. 4. n. 7. vbi ait cum aliis, in Castella morem vigere, vt stipendium Missæ sit Regalis argenteus, & Regalis cum Quartello, & etiam Regalis cum dimidio. Regalis ergo cum dimidio est pretium summum, Regalis cum Quartello medium, & Regalis solus infimum, infra quod non licet sæculari summam stipendij præstare. Hoc autem in Indiis non facile accommodari potest, quia per legem est stipendij quantitas constituta, licet pro regionum varietate, maior aut minor sit: semper tamen pro illis præfinita. Nihilominus non videtur doctrina prædicta penitus improbanda; quia

Quomodo ad locum haberi in Indiis possit.

non est vnde constet cum tanto rigore stipendium constitutum vt ei debeat inuiolabiliter inhereri. Pretium ergo Offregalis argentei, quod communius est, summum esse videtur, quia sic receptum apparet, vt nihil ultra exigatur: tributur etiam communiter, quia homines circa hoc liberales se student exhibere. Sed si quis minus aliquid dare velit, Regalem videlicet, & ita cum sacerdote pacificatur, non est talis pactio reprobanda. Et erit fortè, qui ad Regalem cum dimidio, aut duos etiam extendat: quod minus certè est, proportionem seruata, quam pro Castella citati Auctores allegant. Ex quo infero quòd si dicturo Missam leuis aliquis labor accedat, non idèò debet stipendium augeri, quandoquidem plus datur, quàm pro illo generaliter debeatur.

11. Posset autem aliquis in casu, de quo loquimur, Doctorum quorundam se doctrinam tueri apud citatum Garciam num. 9. iuxta quam Sacerdos potest cum eo, qui dici Missam exoptat, de maiori stipendio pacisci, quàm sit commune, dummodò hic voluntariè id præstet, quia contra eius ex conventionem legem accipere dignoscitur, vt est regula iuris notissima. Non enim Episcoporum leges mutuam liberalitatem pacipientium prohibere possunt, vt vnus petere minus nequeat, & alius dare non possit amplius, vt cum Patribus Suario & Vazquez obseruat P. Dicastillus supra num. 367. Et tenet etiam P. Azor Tomo 3. Lib. 1. 2. Cap. 6. §. ultimo. Et Cardin. Lugo supra num. 5. Vnde & sacra Congregatio Cardinalium superius adducta determinat, ab eo, qui stipendia pro Missis accipit, tot esse dicendas, quot illa fuerint, quantumcumque incongrua & exigua illa esse contigerit: cuius Decreti violationem declarat esse peccatò mortale, & cum obligatione restitutionis. sic §. Deinde die 1. Iunij 1625. Quod e quidem non posset stare, si minus quàm taxa est communi firmatum accipi non posset: quia ergo ex voluntaria pactione acceptum, obligatio dicta conlurgit. Vnde non videtur generaliter admittendum, quod ait P. Granadus Tomo 2. in 3. p. pag. 107. à n. 8. de stipendiis non integris.

12. Quæ licet ita sint, non tamen, vt dixi, in casu, de quo agimus, & similibus, tueri huiusmodi doctrinam se quisquam potest, quia in eo stipendium conferens non est voluntarius, ex necessitate enim, vt infirmi aliqui aut impediti Missam in die festo audiant, & ex eo generaliter sine, propter quem indulto Oratorij gaudet, ad curandum, vt dicatur Missa, progreditur, consolationi suæ & multorum consulens: quando autem necessitas est, ibi voluntarium perfectum esse non potest, qua ratione vsurarius à reatu immunis non euadit, ex eo quòd alius voluntariè lucrum offerre videatur, quia scilicet voluntarium illud perfectum non est, cum oblatio talis ex imperio necessitatis oriatur. Nequit ergo generaliter loquendo Sacerdos plus petere quàm taxa recepta fuerat: si autem offeratur à sciente & volente, admitti potest, & sic pactio celebrari.

13. Sed circa obligationem restitutionis sunt qui censeant illam non oriri ex huiusmodi iniqua pactione: sic enim tenet Alfonso à Leone de officio Capellani, Quæst. 1. Sect. 9. num. 83. ex eo quòd non videatur obligatio esse iustitiæ commutatiue, quia sacerdos absolutè non est obligatus ad dicendam

Posse contrahi pro maiori stipendio sententia aliquorum, & facta probabilis.

Pro stipendio accepto, esse exiguo dicenda Missam obligationem conlurgere.

Sententiam distanti non suffragari in casu, de quo agitur, ob necessitatem, ex qua contrahitur.

Obligatio nem restitutionis esse qui negant.

iustitia ostensa.

Et nõ obligare taxã, qua ad diuitiam sustentationem necessariã subtrahit.

dicendam Missam: ex eo autem quòd illam velit dicere accepto stipendio, non sequitur quòd plus aliquid petere nequeat ex obligatione eadem, quia solum interuenit iustitiæ legalis ex statuto Episcopi: cum iustitia commutatiua ad id tantum obliget vt accipi non possit supra id, quod sustentationi vnus diei sufficit. Quòd si quid taxæ Episcopali ex necessario ad dictam sustentationem subtrahitur, non videtur in illius transgressione contra iustitiã commutatiuam delinqui. Præterquam quòd qui aliquid quod excederet ultra comunem taxam petens, non compellit vt detur; quandoquidem qui Missas dici cupit, alios potest Sacerdotes adire, qui communi taxã acceptã eius desiderio satisfaciunt. Iuxta quòd etiam loquitur P. Reginaldus Lib. 23. numer. 232. dicens quòd si quis taxam ignorans plus dederit, non potest à sacerdote recipi, nisi quantitate sufficientem ad diariam sustentationem non excedat.

Obligatio ex iustitiã & restitutionis statuitur certa.

P. Suarez.

14. Verùm doctrina hæc non est admittenda, quam communiter Auctores explodunt, obligationem restitutionis vt certissimam agnoscentes. Pro quo præsertim P. Suarez Tomo 1. de Religione, Lib. 4. Cap. 59. num. 20. vbi sine dubio iniustitiam in hoc reperiri pronuntiat, dum sic ait: Et hoc etiam confirmari potest ex vsu Ecclesiæ: nam sine dubio iniustus censetur Sacerdos, qui ad suum arbitrium peteret excessuum stipendij pro vnã Missã, vel pro vno Baptismo, vel simili, fortasse propter inopiam sacerdotum, vel aliam similem causam, censeturque vexationem iniustam facere: ergo multo magis si ultra stipendium peteret pretium. Sic ille, qui bonis id confirmat exemplis. Cardinal. Lugo numer. 4. cum P. Pellizzario. Videndus etiam Bonacina Tomo 1. Disput. 4. de Sacramento, Quæst. vlt. Puncto 8. num. 11. vbi plures adducit. Sed in eo non plena fide, quòd in eo casu loquatur, cum sacerdos importunè exigit ultra taxam ab iniustis, & iuxta eum sensum Auctores inducat; cum tamen illi generaliter loquantur, quando scilicet maius stipendium petitur, etiam importuni non sint, vt videri potest apud P. Azor supra, P. Suarium Tomo 3. in 3. p. Disput. 86. Sect. 2. P. Coninck de Sacramento, Quæst. 83. num. 192. §. vbi nota. Vbi sic habet: Quamuis sacerdos possit plus accipere à sponte offerentibus, neminem tamen potest cogere, aut fraude inducere, vt plus det. Sic ille. Qui solum à sponte offerentibus plus accipi posse fatetur: non ergo iuxta eum plus potest peti, in quo ordinariè aliqua esse coactio aut deceptio solet, ideoque de illis specialiter Corduba Lib. 1. Quæstionarij, Quæst. 4. §. Igitur quod amplius, de simplici acceptione locutus, vt alios omittam. Et ratio est; quia cum rei alicuius pretium taxatur, nequit excessus peti, quando enim petitur, non intelligitur donatio liberalis peti, aut elemosyna, sed pretium reueratiale: atqui respectu ministerij circa Missam impensæ taxa imposita est, quæ pretij legitimi, & non voluntarij rationem habet: vel si vulgare pretium asserendum sit, iuxta dictã num. 119. Ergo in eo iustitiæ violatio manifesta interuenit.

Bonacina.

15. Ex quo apparet leuissimò fundamento sententiam illam Leonis inniti; quia ex eo quòd ab Episcopo taxa stipendij statuatur, non debet tantum iustitia in eo legalis agnosci; quamuis dici fortè possit actum ab eodem iustitiæ legalis

P. Coninck

7. Igitur quod amplius, de simplici acceptione locutus, vt alios omittam. Et ratio est; quia cum rei alicuius pretium taxatur, nequit excessus peti, quando enim petitur, non intelligitur donatio liberalis peti, aut elemosyna, sed pretium reueratiale: atqui respectu ministerij circa Missam impensæ taxa imposita est, quæ pretij legitimi, & non voluntarij rationem habet: vel si vulgare pretium asserendum sit, iuxta dictã num. 119. Ergo in eo iustitiæ violatio manifesta interuenit.

Corduba.

15. Ex quo apparet leuissimò fundamento sententiam illam Leonis inniti; quia ex eo quòd ab Episcopo taxa stipendij statuatur, non debet tantum iustitia in eo legalis agnosci; quamuis dici fortè possit actum ab eodem iustitiæ legalis

Sententia opposita leuissimum fundamentum. Et obligatio

circa determinationem talem exerceri: quatenus ad iustitiã legalem spectat pretium rebus assignare: eo autem assignato, iustitiæ commutatiuæ iam partes aguntur, vt determinationi tali debeat iuxta illam dari: quæ est communissima Theologorum & Iurisperitorum doctrina in materiã de Contractibus. Licet autem sacerdos non teneatur ex iustitiã, dum stipendium non accipit, Missam facere; eo tamen accepto, legem taxæ debet ex iustitiæ obligatione seruare. Sicut non tenetur quis ex iustitiã rem suam vendere; si autem vendere velit, ex iustitiã tenetur non excedere legitimum pretium aut vulgare, cum obligatione restitutionis, si contigerit excessisse.

Stipendij non debet diaria sustentationis sufficere.

16. Discrimen autem illud de stipendio sufficienti aut non sufficienti pro diaria sustentatione, omnino est reprobandum, tum ex vrgentissimã ratione, quòd stipendium non debeat diarie sustentationi respondere, cum breuissimi spatij laborem non excedat, vt citati expendunt, & præsertim P. Suarius, P. Azor, & Corduba; atque etiam Diana visus post hæc scripta Parte 11. Tractat. 1. Resolut. 24. ex P. Dicastillo supra, num. 339. & seqq. Tum etiam ex Decretis Sacre Congregationis iam citatis, & præsertim numer. 11. vbi obligatio restitutionis imponitur, aut potius illam esse declarat, sicut & peccatum mortale, cum accepto minori stipendio Missa non dicuntur iuxta eorum numerum: in quo certè minor est ratio, quàm cum excessiua stipendia postulantur, quia id magis contrarium est paritati intentionis, quã debet res ista, omnium diuinissima, tractari, vt in auitatiã occasionem & fomentum neuitquam conuertatur: & consequenter intentioni Ecclesiæ, ipsius legibus circa hoc manifestissimè declarata. Pro quo sunt verba illa. §. 5. Ac similiter, omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens. Et alia etiam Concilij Tridentini Sessione 22. in Decreto de obseruandis & vitandis, &c. ex quibus illud: Nec non importunas atque illiberales elemosynarum exactiones potius quàm postulationes, aliaque huiusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certè à turpi quæstu non longè absunt, omnino prohibeant. Sic Concilium.

Decretum Congreg. Card.

Conc. Trid.

Declarat. Card.

17. Circa quæ Declaratio Cardinalium sic habet: Non enim est obligatio: poterit tamen accipi elemosyna inter partes stabilita pro Missis celebrandis: & promittens solvere, potest conueniri. Caietanus in Summa. v. Simonia. Sic ibi. Non ergo est obligatio, quòd, cum non debeat, sponte & liberaliter aliquis pollicetur. Circa promissum autem dictò modo potest cadere obligatio, & in hunc modum pactione firmari: sacrum facias, & dabo tibi duodecim, aut sexdecim Regales (cum communis taxa, vt dixi, octo Regalium sit) Annuenti tunc Clerico, & Sacrum facienti, quidquid est promissum deberet, quia contractus ex conuentione legem accipiunt. Vel si offerenti communem taxam dicat sacerdos: da plus aliquid, licet non debeat, quia pluribus indigeo, vel quia diues aut nobilis es. Tunc si promittat, obligatio erit; quia etiam gratis promiserit, promissio videtur in pactum onerosum transiisse; nec remanere intra limites puræ promissionis, & saltem est promissio acceptata, quæ iuxta communem sententiam obligationem in conscientia inducit. Et quidquid de obligationis qualitate sit, E E E a si dede-